



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LV. De illo, qui Regulares Monasterij B. Meinulphi injustè invaserat,
& in infirmitate moriens fatebatur se injuste egisse contra eosdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

mortuus est sed vivit, & invocans sanctum MEINULPHUM ita loquebatur: Sancte Meinulpho rogo te, ut sicut aliquando lachrymantis Canonissæ tui Monasterij in cineres redactum peplum per tuas preces reddidisti, ita & nunc mortuum meum Fratrem tuis precibus ad vitam digneris revocare. Ego qualiscunque etiam fuerim, spondeo me crastina die Ceream dimidij talenti tuo Altari in honorem tuum allaturam. Qua sponsione facta is, qui mortuus fuerat, visum oculorum suorum retorfit in Sororem, quod dum illa adverteret, cum gaudio magno interrogans Fratrem loquebatur in hunc modum: O amice singularis, & ubi tu fuisti? Respondit ille: abij, & jam reversus sum, vidique sanctum Meinulphum; dixitque ei Soror: Frater votum tale, quod pro te feci (exprimens id, quod voverat) ad Ecclesiam B. Meinulphi feram. Respondit, qui revixit Frater: Solve Soror, quod vovisti; nam dum ego magis reconvalvero, peregrinationem meam ad B. Meinulphi reliquias, associatis mihi duobus, discalceatus lineis que indutus in gratiarum actionem me facturum spondeo, quod & adimplevit, & pristinae sanitati penitus est restitutus.

CAPUT LV.

De illo, qui Regulares Monasterij B. Meinulphi injustè invaserat, & in infirmitate moriens fatebatur se injustè egisse contra eosdem.

Fuit militaris nomine Albertus, qui, postquam ad magnam devenerat paupertatem, nescio quo spiritu ductus Officium Monasterij B. MEINULPHI, quod Officium in Ertelen nuncupatur, impetens voluit illud hæreditatis titulo possidere: quam ob rem immoderatus contra prædicti Monasterij Regulares agens una cum Fratre suo illegitimo publicè infensus erat iisdem, & quid Regulares ad hoc fecerint, audiatur. Nam sicut quondam sancti Patres nec non & devotæ Canonissæ in eorum necessitatibus magnam in Domino DEO fiduciam habentes ad orationis refugium concurrebant, ita & prædicti Regulares ad orationem in sua prædicta necessitate tanquam ad tutissimum portum confluxerunt, sicque factum fuit, quod iniquitas dicti militaris adversum præmemoratos Regulares

N

minime

minimè prævaleret, nam dum eorum inimicitia in longum protelarentur, pius Dominus nunquam in se confidentes derelinquere volens, imò & fortiter tacito modo pro illis pugnare, litem & controversiam finiebat: prædicto namque militari extra propriam patriam sese transferente infirmitate tacto tanquam ab exule, & peregrino finis vitæ in alia patria factus est. In agone autem constitutus coram ijs præsentibus, qui & alijs postmodum referebant, quòd publicè protestatus fuisset, quòd injuriam satis magnam dictis Regularibus intulisset.

CAPUT LVI.

De subulco damnum Canonicis Monasterij B. Meinulphi inferente, qui malo sine vitam terminavit.

SUbulcus quidam in Castro *Wewelsburg* residens multa & magna damna Monasterio B. MEINULPHI in pascuis & pratis sæpius inferebat, & admonitus non cessavit à transgressu. Postmodum verò cum à suis adversarijs capitur, & dum jamjamque ei mortem inferre cæperant, exclamatoriè dixit in hæc verba: *Heu heu! quòd tam magnum Canonicis intulerim damnum, qui tanta bona mihi sæpius exhibuerunt! Ac si diceret: si damnum ijsdem non intulissem, vindictam hujus crudelis mortis non sentirem.*

CAPUT LVII.

Quomodo fractum genu sanatum fuit.

GErtrudis filia Reneti militis de *Breuker* Castri *Wewelsburg* postquàm in vestitu pompæ sæculi peregerat longo tempore, licentia à strenuo suo viro petita, & accepta propter consecutionem æternorum bonorum vitam solitariam gerere cupiens Prioris Monasterij B. MEINULPHI, & ejus Conventûs consensu interveniente locum *Kerchberg*, quæ est filia supra dicti Monasterij, usque ad annum indefessè habitaverat, quæ dum quadam vice devotionis causâ cum
devota